QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 31. Decembris 1711.

M. CAROLO THUILLIER, Doctore Medico, Præside.

An Medicina quò simplicior, eò melior?

I.

ESTO, post tot animorum motus, post tanta sermonum opinionumque certamina, cedant & quiescant λόγων μεελμιντάι; victi dent manus *Humoristæ*; fracta jaceant qualitatum facultatumque agmina, veteris Medicinæ robur; absistat vel ipsa dux optima Natura, imò, si fors tulit, funditùs concidat suis nihil pollens opibus: Fermenta, Archeos, Sulfura, Sales aliaque omnia hujuscemodi igniferæ gentis subsidia, triumphet victrix fluidorum solidorumque potentia: Horum ergò regimine stabit deinceps aut ruet valetudo, animalis œconomiæ complementum? Vel hoc quis non credat qui illa viventis corporis primordia esse noverit: hoc enim qualecunque ex fluidis primò genitum, ex adnatis unà solidis formatur & firmatur, ex conjunctis utrorumque viribus ac in æquo consociatis vivit & valet; secùs verò, huic quantumvis naturâ & usu valido, quæ mala non incidunt? quæ huic, perversâ semel aut exutâ solidorum fluidorumque æquabilitate, non incurrunt instantis adversæ valetudinis signa? quæ non subeunt morborum genera, feralis plerumque exitii prænuncia? ni præclara medendi disciplina, salutis humanæ sospitatrix erudita, illud aut sapienter depellat, aut prudenter antevertat.

II.

ET ne quid externi deforet adjumenti, tam secundæ quam adversæ valetudini, multis antè nos sæculis *in tres partes Medicina diducta est, ut una esset quæ victu, altera quæ medicamentis, tertia quæ manu mederetur*; his singulis pro diversâ temporum locorumque consuetudine, sui fuêre professores, instituta, leges, præcepta ac instrumenta; sed, ita me Dii ament, quò major iisdem singulis suberit simplicitas ac facilitas, eò major tutiorque futura est

earum vis ac poteſtas, itemque eò certior firmiorque conſequetur per eas quæſita valetudo; hæc autem qualiſcunque tota pendet tùm ex æquabili mutuoque fluidorum ſolidorumque preſſu, tum ex liquoribus perenniter & liberè fluentibus per longè latèque diffuſam tubulorum vaſorumve congeriem. Nihil equidem, quod ſciam, tanto operi aptius accommodatiuſque putandum eſt, quàm illud quod ſimplici viâ facilique modo liquida ſolidaque inter ſe ſe conciliando, eorum ſymmetriam, craſim & indolem tuetur, inſtaurat ac redintegrat: hæc omnia præſtat quam quid maximè clariſſima Medicinæ pars quam διαιτητικὴν Græci nominaverunt: hæc enim ſuis, quantum poteſt, intercluſa finibus, Balneo videlicet & Abſtinentiâ nimios fluidorum ſolidorumque niſus lenit & emollit: Frictione ac Sudore, lentos commovet & extimulat: Geſtatione & omnis corporis Exercitatione, torpentes & languidos concutit & ſuſcitat: his omninò ſimilibuſque rebus fit ut ſimplex victus ratio non ægros modò, ſed ſanos quoquè ſuſtineat.

III.

IN nuce Iliadem, in pagellâ, inquam, hîc tenes omnia medicamenta, *ſine quibus ad ſanitatem pervenire non poſſunt multa admodum quæ corporibus noſtris incidere conſuevêrunt:* quid iſta, ſodes, intempeſtivè obtrudis? ignoras, ſcilicet, ut inſignes olim arte & facundiâ viri, *horum uſum ex magnâ parte non ſine causâ ſuſtulêre?* Ecquid te fugit? ut illorum æmuli Medici Pariſienſes ſuis magnis & divinis bonis eam aſſecuti ſunt licentiam, quâ poſt longum ſæculorum ambitum, veterum rudera, Empiricorum farragines, Arabum fæces ac quiſquilias exigerent, quâ demùm univerſam φαρμακευτικὴν alterum Augiæ ſtabulum, Herculeo labore repurgatam, ſuo nitori deintegro redderent: bona verba, quæſo, non rectè accipis? his audacter utere medicamentis quæ valent diſpares adeò fluidorum ſolidorumque vires æquare ac ſervare, æſtus coercere, fluorem tardare, lentitudinem accelerare, vitia denique quælibet emendare: ſi ab eventu facta putes notanda, medicamenta ſive ſimplicia, ſive mixta opitulantur, illa autem ut potè æternæ & immutabilis naturæ opus, meliora; hæc verò, fragilis duntaxat fluxæque artis molimina, deteriora; utraque tamen, plurima fuêre ad fingendum credendumque materies. Quid verbis opus eſt? in tantâ copiâ rerum valetudo, ſeu noſtra omnis vis quæ in animo & corpore ſita eſt, faciliùs ſemper & tutiùs retinebitur ac reſtituetur iis artibus, quibus initio parta eſt: ex ſimplicibus quidem mollibusque ſuccis, vi genitali adfuſâ, formatus

compactuſque homo, vivit in utero, creſcit in cunis lacte ciborum ſimpliciſſimo nutriendus, donec adoleſcat, valentioris materiæ indigus. optima itaqué medicina, ſimplex cibus opportunè datus, quidni & optima Medicina lene & ſimplex medicamentum?

IV.

VENIO nunc ad χειρουργικὴν vetuſtiſſimam Medicinæ partem quæ initio rerum exculta, ab Heroibus Diiſque ipſis agitari cœpit; his, ſive veris, ſive fabuloſis aucta, ingens ſibi nomen fecit: hæc, oppidò, ſimpliciſſima, ne novos ſolidis fluidiſque obices perperàm figeret, *ſine peregrinis & conquiſitis & compoſitis medicamentis curare novit vulnera, ſeù iſta fecerit Medicus, ſeù acceperit:* hæc pariter tota ferè in actione ſolâ poſita, non à latentium rerum conjecturis, ſed ab exploratis manuum effectibus, evidentique innumerabilium curationum profectu, ſuas maximè traxit medendi vias: quanta quanta eſt Chirurgia, totum ſanè illud ſuum decus, non minùs ſingulari ſuæ ſimplicitati debet, quâm impavidæ artificis menti, intrepidæ ſecandi urendique induſtriæ, immiſericordi beneficentiæ, intremiſcenti ſtabilique manuum dexteritati, pertinaciæ denique vagitibus inexorabili: fallor ego qui iſta probem? facinus profectò fœdum! ululantis fœminæ ubera igne ferroque reſcindere, expirantis hominis præcordia latrocinante ſcalpello perfodere, faucium anguſtias intercluſaſque ſpiritus vias armatâ manu perrumpere: fœda hæc quidem & terrentia; verùm, utilitatis neceſſitatiſque causâ inventa eſt ſalutaris noſtra profeſſio; non poteſt vehementi malo, niſi æquè vehemens auxilium ſuccurrere; omnis honeſta & recta ratio eſt expediendæ ſalutis, dubiaque ſpes deſperatione potior; Quin & indulgendum ægris, qui pro inſitâ ſibi vivendi cupidine, quæ vel ipſis ſapientibus noviſſima exuitur, inter innumerabilia tormenta, in ipſâque trucidatione, fugienti vitæ moras quærere non deſinunt. ad ſummam, ne agam de ſingulis Chirurgiæ generibus, nulli penè non morbo ſuccurrit ſimpliciſſima expeditiſſimaque ſanguinis per venas detractio; hujus ſi quidem præſenti ope, liquidis ſolidiſque ſuus commodè redditur ſervaturque tenor, & utriſque ſic amicè conjurantibus, facilè & paulo ſumptu ſtat reditque amabilis valetudo.

V.

ET quod ad rem maximè pertinet, clamitant pleræque omnes ſapientum diſciplinæ, *naturâ duce errari nullo modo poteſt; omnia quæ ſecundum naturam fiunt, ſunt habenda in bonis; repugnante naturâ*

Medicina non proficit; ut natura, Medicina erit; clamitant cum Hippocrate Medicorum filii, νούσων φύσιες ἰητροί; ἡγεμονικώτατον μὲν ἁπάντων ἡ φύσις; si quid autem est natura, si quis illi hìc locus, si datur hìc *hujus nominis usus*, nihil certè illâ simplicius, qualis qualis illa sit, nihil perfectius fingi excogitarive potest: hæc igitur potior habebitur Medicina quæ modicis indiga medicamentis, ad naturæ simplicitatem proximè accesserit. At gravibus, inquies, Medicis & magna plerumqne professis, & placuit multiplex Medicina, & licuit audere quidlibet & miscere?

Scimus, & hanc veniam dabimus, petimusque vicissim,
Sed non ut placidis coeant immitia, non ut
Serpentes avibus geminentur, Tigribus agni.

Quid quæris? artium scientiarumque summa laus ac perfectio ducitur à singulari cujusque simplicitate; ut cæteras taceam, circumspice, quæso, quæ maria non intravit Navigatio levi duntaxat circumducta pixide? quos cœli meatus non descripsit radio Astronomia? Quos eadem syderum orbes, fragili non percurrit vitro? quæ rerum miracula non effinxit penicillo Pictura? quæ alimenta sanis corporibus non promittit rudis Agricultura? quas vires igitur quamve sanitatem ægris non promittet simplex & εὔπορος Medicina: atque hæc quidem hactenùs, ita ut vero proxima sequatur illa conclusio.

Ergò Medicina quò simplicior, eò melior.

Domini Doctores disputaturi.

M. Ægidius Adam.	*M. Joannes Nicolaus de la Hire è Regiâ scientiarum Academiâ.*	*M. Renatus le Conte.*
M. Camillus Falconet Medicus Regius ordinarius.	*M. Antonius Geoffroy.*	*M. Franciscus Afforty Academiæ Censor.*
M. Hyacynthus Theodorus Baron.	*M. Joannes Franciscus Couthier.*	*M. Germanus Preaux Professor Regius.*

Proponebat Parisiis ELIAS COL DE VILARS Rupifocaldensis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1711.

Apud Viduam Francisci Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typog.